



## II. Abtheilung: Mittheilungen.

### Aus einem Melker Formelbuche.

Von Dr. Odilo Holzer, O. S. B. in Melk.

Die Handschrift G 2 der Melker Bibliothek enthält von S. 49a—87a etwa hundert Schriftstücke, wie sie in dem Verkehr der Klöster untereinander und mit den Bischöfen gebräuchlich waren: Confraternitätsurkunden, Roteln u. dgl. Bei manchen derselben sind die Namen und das Datum angegeben und da die Originale zum Theil kaum mehr vorhanden sein dürften, so sind diese Abschriften von Wert. Bei den meisten Schriftstücken fehlen jedoch die näheren Angaben; dieselben haben daher den Charakter von Formeln. Schreiber stellten sich solche zusammen um für einen bestimmten Fall eine Vorlage zu haben.

Die Schriftstücke beziehen sich grösstentheils auf Melk und gehören in die Zeit des Abtes Christian (1433—1451). Einige hat schon Kropff in der Bibliotheca Mellicensis veröffentlicht.

Ich habe aus der grossen Zahl diejenigen herausgesucht, welche mir von einigem Interesse zu sein schienen; von den Formeln habe ich einige beigefügt, welche für die damaligen klösterlichen Zustände lehrreich sind.

Viele Schriftstücke beziehen sich darauf, dass die Mönche in verschiedenen Klöstern sich aufgehalten haben; die *stabilitas loci* wurde damals weniger streng beobachtet und es herrschte eine relative Freizügigkeit.

#### I.

*Forma fraternitatis ad episcopum gurcensem.*<sup>1)</sup> (62a.)

Reverendo in christo patri et domino domino Johanni Episcopo ecclesie Gurcensis sancte salczburgensis ecclesie in spiritualibus vicario generali domino ac patri nobis plurimum reverendo fratres Cristannus abbas, Stephanus prior totusque conventus monell. ord. s. B. pat. dioec. apostolice sedi sine medio subiecti

<sup>1)</sup> Keiblinger I. 563.

humiles ad deum preces videreque eundem post huius carnis ergastulum in perhenni gloria. Cum mediante caritate, quae vinculum perfectionis praedicatur membra singula in corpore sancte ecclesie sibi invicem coniungantur et christo domino capiti suo ad participandum per ipsum et in ipso gratiarum spiritualium influenciam uniantur, tanto liberius sinum caritatis in ampliande confraternitatis consortium dilatamus, quanto ad participationis huius fructum acquirendum efficacius atque ferventius anhelamus. Hinc est, quod devotionis ac paterni favoris intuitu, quos ad nos nostrumque locum habere dinoscimini, sublimique vestre reverende paternitatis fama attracti propensius et illecti ad supplicem nihilominus vestrae paternitatis petitionem vobis fraternitatis consortium ac bonorum operum nostrorum in orationibus ieiuniis et elemosinis ac aliis bonis exercitiis, quae per nos singulosque nostrum auctore deo communiter sive conventualiter (?) fient, participationem mutuum deliberatione praehabita libere vobis ac hilariter concedimus et impertimur, ut quo largius ac copiosius super vos divina gratia coruscarit, eo bonitas vestra proficiat aput deum. Insuper cum dies mortis vestre nobis nunciatus fuerit missam et officium mortuorum iuxta monasterii nostri consuetudinem ceterum singuli sacerdotes singulas missas, Clerici vero citra sacerdotium constituti semel totum officium mortuorum, Conversi autem laici singuli, quod eis iniungitur, privatim pro anime vestre salute peragemus. Nos quoque simili devotione ac pari pietatis studio bonorum vestrorum spiritualium participationem exquirentes vestre tamen reverendae paternitatis discretionis sine limitatione aliqua committimus, quidquid pro nostris ac nostrorum animabus, dum alicuius vel aliquorum obitus nunciatus vel nunciati fuerint, agere decreverit, certum tenentes nos minime fraudari, ut sic sancte fraternitatis vinculo uniti in domino exinde peccatorum nostrorum indulgentiam ac vite beate praemium consequi domino miserante valeamus. Ut autem praesens haec nostra confraternitas eciam aput posteros nostros, quos ad hoc hortamur, in domino indeficiens omnino perseveret, has patentes nostras litteras vobis in eiusdem fraternitatis copcesse memoriale tradendas duximus nostrorum sigillorum appensione roboratas.

Datum in praefato nostro monasterio in die sancti bartholomaei apostoli anno domini 1444.

## II.

### Forma petitionis pro mutuo contrahenda fraternitate.<sup>1)</sup> (68 a.)

Venerabilibus in christo patribus ac fratribus domino Cristanno abbati totique conventui mon. Mell. ord. s. b. pat. dioec. orationes

<sup>1)</sup> Die Confraternitätsurkunde bei Hueber, Austria etc. 119.

nostre cum sincere caritatis affectu. Venerabiles ac religiosi in christo patres et fratres praecari. Hoc summe esse prudentie arbitramur, si nos in vita praesenti nobis talia media provideamus eaque sollicite procuremus, per quae in futuro non solum liberemur a penis debitis, sed etiam cicius ad felicem visionem creatoris nostri perveniamus. Attendentes igitur, quod iuxta sententiam apostoli deus frequenter exaudiat preces multorum et praestet id, quod ab eo petitur, qui hoc non praestaret ad preces unius dumtaxat aut paucorum, pariter deliberavimus et nobis omnibus nemine excepto placuit vobiscum inire fraternitatem specialem secundum aliquam formam littere desuper conficiende, qua nos mutuo obligemus pro nobis ac nostris successoribus ad orandum pro invicem, prout inter vos et nos fuerit concordatum. Quamobrem omnes nos vestrae caritati concorditer et unanimiter rogamus et obsecramus in domino, quatenus et vestra veneranda congregatio nobis in hac parte consentire dignetur ac nobiscum talismodi fraternitatem inire nobisque mittere aliquam formam littere desuper fiende vobis placentis, secundum quam et nos viceversa volumus nos obligare. Confidimus, quod hanc petitionem nostram libenti animo exaudiatis, praesertim cum eius impletio non solum nobis sed etiam vobis videatur esse optanda. Nam si sanctissimus ille apostolus, paulum loquimur, ad impetrandum sibi a deo hoc bonum, quod ab eo optabat, percipere se credebat aliorum precibus iustorum adiuvari nec de suis tantum meritis sperare audebat, quantominus nos et vos, qui ipsi apostolo vita et meritis longe impares sumus.

Datum pridie festi Epiphaniae domini anno eiusdem 1446.

Frater Michael totusque conventus  
monasterii celle marie ord. s. b. pat. dioec.

### III.

Littera super fraternitate contracta cum singulari  
persona. (58 b.)

Nos fratres N.<sup>1)</sup> abbas N. prior totusque conventus monellie. ord. s. Ben. pat. dioec. Venerabili et egregio viro domino magistro Narcisso hercz de perchingen<sup>2)</sup> sacre theologie et arcium liberalium professori in domino nobis sincere praedilecto humiles ad dominum preces cum adeptione (?) salutis perennis. Cum mediante caritate membra singula in corpore sancte ecclesie sibi invicem coniungantur et christo domino capiti suo ad participandum per ipsum et in ipso gratiarum spiritualium influenciam uniantur, tanto liberius sinum caritatis ampliande fraternitatis consortium dilatamus. Hinc et quod devotionis ac familiaritatis intuitu, quas

<sup>1)</sup> Christian.

<sup>2)</sup> S. Keiblinger I. 521, 563.

ad nostram congregationem vos habere cognoscimus ac honestatis vestre fama attracti perpensus et illecti ad supplicem vestram nichilominus petitionem plene fraternitatis videlicet bonorum nostrorum operum consortium in orationibus obedientiis et elemosinis et aliis bonis exercitiis, quae favente et auctore deo a nobis nostrisque singulis confratribus conventualibus fiunt, quantum in nobis et in perpetuum vobis damus ac de bona voluntate participem esse volumus sub praesentium testimonio litterarum, ut quo largius et copiosius super vos divina gratia coruscarit, eo bonitas vestra proficiat apud deum. Nos quoque similiter devotinem ac pari pietatis studio desideramus participationem in omnibus bonis spiritualibus et piis atque devotis exercitiis, quae omnipotentis dei misericordia per vos dignabitur operari, ut sic sancte fraternitatis vinculo uniti in domino exinde peccatorum nostrorum indulgentiam ac vite beate praemium consequi domino miserante valeamus. Ut autem praesens haec nostra fraternitas etiam apud posteros nostros, quos ad hoc hortamur in domino, indeficiens omnino perseveret, has patentes litteras vobis in sempiternum eiusdem fraternitatis memoriale tradendas duximus nostrorum sigillorum appensione roboratas.

Datum in praefato monasterio in vigilia Nativitatis christi Anno eiusdem 1434.

#### IV.

##### Littera confraternitatis in theotunico. (75 b.)

Der edeln wolgeboren andächtigen frawen Elisabeten weilent des edeln herren und vesten ritter herrn hainrichs von Zelking unsers besundern gunner selig hausfraw wir Nicolaus von gotes genaden Abbt petrus prior und gemainchleich der ganz Convent sand peters und sand pauls kloster ze Mellehk, das zu dem römischen stuel an alle unterschaid gewidemt ist, sand Benedicti orden gelegen in passawer bistumb unezebrochne bruderschaftt in gemain gotleicher lieb. Als dann die heylig kristenhait gelaubt in gemeinschaftt der heyling die werch, die in gotleicher lieb volpracht werden, ze staten chomen den, für die sy werdent geophert, darumb durch ewer besunder kristenleich andacht, die ir zu uns habt, der wir auch uns von euch gen got tröstend (?) sein und auch durch eur fleissig gepet geben wir euch in gotes lieb mit wolbedachten mut ganze bruderschaftt mit uns ze niessen nach ewigem hail eur sel hie und dort und machen euch theilhaftig, als vil wir mugen mit guetem willen, aller unser guter werch, die wir wurchen mit messprechen, betten, singen, lesen, almusen geben, vasten, wachen, gehorsam sein und andern guten werchen, die der himelisch vater gnedichleich uns und unsern nachkomen in disem vorgeantem kloster geit ze wurchen. Auch als pald uns eur schidung aus disem gegenburtigem jamertal wird kund

getan, so wellen wir gmainkleich singen ein Selmesse nach unser gewonheit und ain ysleich briester unsers Conventezs sol besunderlich ain Selmesse darnach lesen und der nicht briester ist funczig psalm und ain ysleicher laybruder hundert pater noster und also vil ave maria ze hilf und zu ewigem trost eur sel und das die bruderschafft also vest und unzebrochen beleib auch bey unsern nachkomen, die wir fleissigleich darumb pitten, so geben wir euch disen offen brieff zu ainer steten gedechtnusse versigelt mit unsern baiden anhangenden insigeln nach krist gepurd tausent iar und zwanzig iar<sup>1)</sup> an sand Urbanstag.

V.

Intimatio obitus defuncti. (51 a.)

Religiosis in christo patribus ac dominis Abbati totique conventui mon. mell. nostris specialissimis nec non sinceris fratribus in christo praeamandis. Orationes devotas animunque sincerum ac semper paratum in omnibus complacendi. Caritati vestre, quam nobis in adversitatibus compati nullatenus dubitamus, dolenter (alias lamentabiliter) cogimur intimare, quod dominus leonhardus chrephl presbyter et canonicus nostri monasterii praedilectus kalendas (sic) augusti iuxta divine dispositionis clemenciam (!) nature debitum exolvit praemunitus tamen laudabiliter ecclesie sacramentis. Quare dilectioni vestre humiliter supplicamus, quatenus pro ipsius anima omniumque fidelium defunctorum consolationem et requiem mortuorum secundum mutue nostre confraternitatis vinculum omnipotenti hostias et orationes vestras et alia pietatis opera impendatis, vestris annalibus libris nomen ipsius benignius inscribatis. Quod utique per amplius sicut huc usque defunctis vestris simili modo inpraetermissemus et devote volumus promereri.

Datum in nostro monasterio ad s. ypolitum anno etc. XXXII. XIII. idus septembris.

Cristannus praepositus,  
petrus decanus totusque conventus ypolitensis.

VI.

Intimatio defuncti. (63 b.)

Venerabili in christo patri domino iohanni praeposito et venerandis dominis Martino priori totique conventui monasterii dei genitricis marie in domino dilectissimis. Post sinceram in iesu christo caritatem orationes humiles utinum divinis auribus acceptione dignas. Venerabiles patres ac domini devotius peramandi, quia fraternali federe mutuo sumus copulati, vestris notum facimus caritatibus, quod frater fridericus presbyter et monasterii nostri

<sup>1)</sup> Richtig 1420. Keiblinger I. 520 Anm. 1.

professus monachus vocante summo et equissimo iudice deo sacramentis ecclesie rite praemunitus nono kalendas Novembris de huius seculi exilio et valle migravit lacrimarum. Quamobrem attentius vestras exhortamur honorabilitates (?), quatinus iuxta fraterne societatis initum fedus atque laudabilem consuetudinem hactenus observatam pro dicti fratris nostri requie et anime eius refrigerio solita suffragia dignentur offerre omnium salvatori et fervidarum vestrarum precum subsidia impertiri nec non matricule (?) (alias annalibus) inscribere defunctorum. Quemadmodum vicissim nos acturos tempore opportuno minime hesitatis. Datum etc. fr. Crisannus abbas, Stephanus prior totusque conventus mon. mell.

## VII.

### Littera ad excusandum de calumpria seu falsi (?) impositione. (57 b.)

Universis et singulis quarumcunque dignitatum praeceminendarum (?) statuum aut conditionum existant, ad quos praesentes pervenerint nos Christianus abbas, C. prior totusque conventus mon. Mellie. ord. s. B. pat. dioec. et s. Rom ecclesie immediate subiecti devotum humilitatis et sincere caritatis affectum.

Nemo nescit antiqui humani generis hostis non nova et recencia sed vetera perversitatis et fraudis esse studia et conamina pacem turbare, caritatem scindere et quibus valet figmentis et satellitum mendosis suasionibus innocentiam maculare. Hinc est, quod cum humiles et obediens semper ecclesie filii Sacrosancto Basiliensi Concilio in spiritu sancto congregato universalem ecclesiam dei verissime repraesentanti semper fecerimus exhibuerimus et servaverimus subiectionem honorem et reverenciam, quantas possumus et valemus eiusque auctoritati infallanti plena fide sine hesitatione adhererimus et semper adheremus propter quod et in anno proximo praeterito post electionem ad vacantem Abbatiam factam nonnisi a Sacro Concilio praenominato tanquam universalem repraesentante ecclesiam electi nostri petivimus confirmationem, quam et de gratia et benignitate praefati sacri Concilii consecuti sumus cum gaudio et magna graciaram actione deo de hoc et praefato Sacro Concilio, quantas possumus, gratias agentes. Insuper et cum eidem Sacro Concilio incorporati simus et fuerimus et ante electionem et modo per Syndicos nostros ibidem praesentialiter et personaliter commorantes, denique personas religionis et monasterii nostri pro reformatione a nobis eiusdem Sacri Concilii nomine postulas transmisimus indilate alia quoque, que ab obedientia nostra requisita fuerint, semper, quantum possumus, parati sumus perficere et obedire. Quibus omnibus non obstantibus nuper tamen veridicis scriptis et relatione fide dignorum adversati et de hoc certificati sumus, quod scriptis alicuius aut aliquorum apud

graves eciam notabiles personas et alias in Sacro praefato Concilio notati simus, quod (?) post confirmationem praedictam a Sacro Concilio praenominato consecutam, quia de auctoritate sepe dicti concilii diffidentes aut dubitantes ad beatissimum in christo patrem et dominum dominum Eugenium papam quartum pro nova confirmatione miserimus electi nostri praedicti, quod non tantum non fecimus, sed eciam ut grande nephas nec unquam facere cogitavimus. Absit et longe avertat altissimus a mentibus nostris, ut tantum irreverenciam Sacro Concilio et universis patribus inibi constitutis nulla prorsus habita occasione tanta temeritate voluerimus irrogare. Quare rogamus et obsecramus universos et singulos in dei caritate et in visceribus christi, quatenus talibus contra nos mendaciter confictis rumoribus, quibus filii belial famam et innocentiam nostram maculare et quia scismatis et infidelitatis crimine nos infamare cum damnationis eorum periculo laborant, fidem credulam (?) nequaquam adhibeant sed veritatis amore ut calumpniatores, quantum in eis est, repellant et compescant, propter quod ad falsitatem talium manifestandam nostramque innocentiam et sinceritatem in veritate exponendam praesentes litteras nostris Abbatis scilicet et Conventus sigillis appensis tamquam fidei munitis super his curavimus communire.

Datum in praefato monasterio nostro Anno domini Millesimo Quadragesimo Tricesimo quarto mensis marcii die etc.

### VIII.

Forma littere missive ad Episcopum ut fratres promoveantur ad ordines sacros. (49 a.)

Reverendo in christo patri domino leonardo episcopo pataviensi domino meo favoroso aut domino Mathie Episcopo vitricensi eius suffraganeo frater C. abbas mon. mell. reverenciam debitam atque condignam. Reverende in christo pater ac domine ad ampliationem divini cultus desiderans hos fratres ac subditos meos monachosque nostri monasterii expresse professos C. de geysenleldt et Simonem de kempten dyaconos ad sacerdotii vel presbyterii ordinem promovendos, quibus ad eorundem ordinum susceptionem sufficientem vite etatem, morum honestatem nec non congruam litterarum scientiam credo suppetere ipsos vel ydoneos vestre reverentiae hiis litteris prasento petoque humiliter, ut in sacra celebratione ordinum iure (?) dispensationis ministerio sabbato vigilia passe facienda eisdem fratribus ac subditis meis praefatum ordinem conferre dignemini propter deum et sui cultus augmentum.

Datum sexta feria ante dominicam psalmarum.

IX.

Forma praesentationis ad parochiam. (59 a.)

Reverendo in christo patri et domino domino leonhardo episcopo pataviensi Fr. Cristannus abbas mon. mell. ord. s. B. vestre dioec. reverentiam debitam atque condignam. Ad ecclesiam parochialem in lausse, cuius ius praesentandi ad me pertinere pleno iure dinoscitur, vacantem ad praesens per obitum quondam domini vincencii eiusdem, dum vixit, novissimi possessoris honorabilem virum Magistrum paulum de Mellico<sup>1)</sup> Magistrum in artibus ac baccalaureum in theologia vestre reverentiae duxi praesentandum Supplicans cum eodem humiliter et instanter quatenus ipsum super eandem ecclesiam instituere ac de ea investire dignemini adhibitis sollemnitatibus debitis et consuetis harum sub nostri sigilli appensione testimonio litterarum. Datum etc.

X.

Alia forma praesentationis ad altare. (59 a.)

Reverendo in christo patri ac domino domino leonhardo episcopo pataviensi fr. N. abbas mon. mell. ad curiam romanam nullo medio pertinentis ord. s. B. vestre dioeceseos Reverentiam debitam atque condignam. Reverende pater et domine missa perpetua fundata in honore beate marie virginis in ecclesia parochiali in dreschirchen praefate dioeceseos pataviensis fundata vacante pronunc per liberam resignationem honorabilis viri domini Gothardi praedictae misse novissime rectoris, cuius ius praesentandi ad me pertinere dinoscitur, discretum virum dominum Martinum Gundolt<sup>2)</sup> apud me recommendatum duxi per praesentes praesentandum ad praedictam missam supplicans et humiliter et devote quatenus eundem dominum Martinum vel pro eo eius legitimum procuratorem ad dictam perpetuam missam instituere et investire propter deum et gratiose dignemini adhibitis sollemnitatibus debitis et consuetis. Datum in praefato monasterio in die s. scolasticae virginis anno domini 1438.

XI.

Litterae praesentationis super confirmanda permutatione beneficiorum. (59 a.)

Reverendo in christo patri et domino domino leonhardo dei et apostolice sedis gratia Episcopo Pataviensi fr. C. Abbas mon. mell. ad Romanam curiam nullo medio pertinentis ord. s. B. vestre dioeceseos reverentiam debitam atque dignam. Reverende pater et domine. Quia honorabiles viri domini Georgius rector

<sup>1)</sup> Keiblinger II. 2. 361.

<sup>2)</sup> Keiblinger II. 1. 397.

ecclesie parochialis beate marie virginis in tatendorff praefate vestre dioeceseos, cuius quidem ecclesie ius praesentandi ad me pertinere dinoscitur, et thomas rector ecclesie parochialis in pecznaren juariensis dioeceseos huius(?) suas ecclesias ex certis rationabilibus causis ipsos ad id momentibus ipsas ad invicem permutare intendant, cui quidem permutationi meum praebui et tenore praesentium praeeo consensum, supplicans humiliter quatenus resignatione dicte ecclesie beate marie per viam permutationis per dictum dominum georgium in manibus paternitatis vestrae facta ipsum dominum Thomam sic praesentatum vel eius procuratorem legitimum pro eo vel eius nomine ad praefatam ecclesiam investire ipsumque instituere propter deum gratiose velit adhibitis circa hoc sollemnitatibus debitis et consuetis.

Datum wienne 1435 ipso die sancti michaelis.

## XII.

### Provisio ad mensam abbatis. (72 b.)

Universis et singulis christi fidelibus, ad quos praesentes pervenerint et praesertim Reverendo in christo domino Conrado dei et apostolicae sedis gradia episcopo Ratisponensi ac eius suffraganeo venerando Nos fratres leonhardus abbas Martinus prior totusque conventus mon. mell. ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis o. s. B. pat. dioec. humilem in christo recommendationem. Cum bona ecclesiastica et potissimum ea, quae monasteriis fidelium largitione concessa sunt, tanto liberius ad augmentum divini cultus ac in pios ecclesie usus distribuenda veniant, quanto ea lagitor omnium bonorum deus pro sustentatione indigentium per eosdem fideles suos pro animarum salute liberalius dispensanda concessit. Quod nos diligenter attendentes discretum Georgium Mendl clericum Ratisponensis dioeceseos bone indolis virum ad sacros ordines devote promoveri cupientem titulo tamen sufficienti secundum sacrorum canonum instituta pro presbyteratus dignitate gratia dei adipiscenda huc usque carentem praesentibus, ut moris est, pure et legaliter absque dolo et fraude de eiusdem monasterii nostri bonis praesentibus et futuris ad supplices preces suas hoc titulo duximus sublevandum providens videlicet eidem in hiis scriptis divine laudis ac remunerationis intuitu de nostre mense victu atque vestitu honesto et competenti, quamdiu aput ipsum monasterium commorando percipere voluerit, quousque ad pigwiolem (!) fortunam pervenerit statutis sacrorum Canonum consonam domino concedente consequendam. In cuius rei testimonium praesentes litteras nostrorum sigillorum appensione roboratas eidem Georgio duximus assignandas.

XIII.

Petitorium, ut frater remeans in Monasterium nativum in via caritative tractetur. (75 b.)

Universis et singulis, ad quorum noticiam haec scripta pervenerint fr. Cristannus abbas mon. N. romane curie immediate subiecti ord. s. B. pat. dioec. sinceram in domino iesu caritatem. Cum dilectus in christo frater vitus presbyter professus monasterii s. Egidii in nurenberga ordinis s. benedicti, qui iam aliquamdiu religiose satis et humiliter in monasterio nostro conversatus est, ad vocationem sui praelati ad monasterium suum rediturus sic ac caritatis et humanitatis operibus in itinere verisimiliter indigebit, hortamur et petimus vestras paternitates et dominationes, quatenus eo ad easdem declinante dignentur eum benigne suscipere ac eterne remunerationis intuitu caritate pertractare. Datum in mellico etc.

XIV.

Littera revocatoria, si infra certum tempus non fiat stabilisatio in designato monasterio. (50 a.)

Fr. N. abbas mon. mell. etc. usque ibi paterne dilectionis affectum. Per litteras vestras nobis directas petistis, quatenus vos in monasterio Obernburgk diucius morari non sinamus, neque tamen vos huc ad nos revocemus, sed ad aliquod aliud monasterium nostri ordinis, in pro regulariter vivatur, mittamus vobisque licentiam demus ad stabiliendum vos in eodem. Super quo vobis taliter respondemus, quod, cum neque ex litteris vestris neque aliunde intelligamus aliquam causam rationabilem, dicte vestre petitionis licentiam petitam cum bona conscientia dare non valemus. Attamen, ne videamus vestre voluntati penitus velle obniti libenter vobis condescendimus hoc pacto, ut, si libuerit, infra hinc et festum penthecostes proxime venturum stabiliatis vos in monasterio Obernburgk Aquilegiensis dyoeceseos, in quo pronunc habitatis, adiecto quod, si non stabiliveritis vos interim ibidem, hanc licentiam ultra dictum terminum nolumus durare sed volumus, ut ex tunc huc ad mellicum locum videlicet vestre professionis reveniatis. Datum etc.

XV.

Licentiatorium ut frater se in alio monasterio sui ordinis possit stabilire. (85 a.)

Fr. N. abbas mon. Mellic. pat. dioec. sedi apostolice sine medio subiecti Religioso nobis in christo dilecto fratri berchtoldo presbytero executionem sui ordinis habenti nostro ac nostri monasterii expresse professo Salutem in domino. Expositis per te certis causis, quibus, ut asseris, in nostro prime professionis tue

monasterio cum animi tui quiete habitare nequeas, ob id nostram licenciam ad aliud quoddam monasterium paris aut arctioris observantie regularis eiusdem ordinis, sicubi benevolos tui receptores invenire possis, humiliter suppliciusque expostulasti. Et cum propter singularem devotionis affectionem, quam, ut dicebas, gereres ad locum aquisgrani propter devotum populi concursum ad venerationem gloriose virginis Marie ibidem patrone ob id malueris (?) in contrata et confinio praefatum locum circumiacentem distantie quatuor at quinque leucarum ordinis et observantie praemissorum eligere monasterium. Nos igitur, qui debitores sumus provisionis salutis tue, consideratis huiusmodi tuis piis desideriis causisque pensatis spiritu bono te moveri sperantes de remedio tibi opportuno providere cupientes, ut ad aliquod monasterium ordinis, professionis et habitus eiusdem paris aut artioris observantie regularis contrate et distantie Aquisgranum ut praemisimus circumiacentem, ubi benevolos receptores inveneris, te transferre et in eo professione facta gratum domino famulatum reddere valeas tibi tenore praesentium impertimur te, postquam in huiusmodi monasterio, ad quod te duxeris transferendum, professus fueris, ab obedientia nobis debita ac a sepe dicti monasterii observantiis absolventes hortantes, quatenus iter acceptum sine dolo et fraude legitima causa cessante continues praesentibus post XVIII. mensium spacium minime valituris.

Datum in praenominato monasterio Mellicensi die Jovis XX. octobris Anno domini Millesimo quadringentesimo etc. sub Sigillo nostro minori a tergo impresso.

#### XVI:

Revocatio monachi licentiatii ad tempus ad monasterium suae professionis. (50 b.)

Johannes abbas monasterii sancte crucis in verdea Salutem cum paterne dilectionis affectu. Pridem tibi fili in christo licenciam dedimus generalem extra nostrum monasterium habitandi usque ad nostram revocationem. Nunc autem pro quodam arduo negotio in brevi expediendo, quod nos ac statum nostri iam dicti monasterii concernit, tui praesentia indigemus te, ut ad nos et idem monasterium quantocius revertaris, tenore praesentium revocamus Tibi in virtute sancte obedientie mandantes, quatenus infra octo dies datam (?) huius littere proxime secuturos huc revertaris pro dicti negotii evidenti consummatione. Et, ut tibi occasionem tardandi auferamus, tibi inhibemus, ne visis praesentibus ante redditum tuum missam praesumas aliquatenus celebrare.

Datum etc.

XVII.

Littera promotoria scriptoris vel alterius artificis. (53 b.)

Universis et singulis praesentes inspecturis fr. leonhardus abbas mon. mellic. ord. s. Ben. pat. dioec. ad sacrosanctam romanam sedem immediate pertinentis. Sinceram in domino caritatem vobis omnibus et cuilibet vestrum notificamus per praesentes, quod laurentius scriptor katedralis<sup>1)</sup> harum exhibitor nobis ac nostro monasterio praedicto in officio scriptoriae aliquanto tempore fideliter et cum debita sedulitate servivit opereque suo completo per nostram licentiam a nobis discessit, quapropter attente rogamus, quatenus eundem laurentium, dum hoc pecierit, ad opus artis suae acquirendum, quo se sustentare valeat, benigne velit promovere.

XVIII.

Cirographus debiti.<sup>2)</sup> (56 a.)

Nos fratres C. abbas Stepanus prior totusque conventus monast. mell. ord. s. Ben. pat. dioec. sacrosancte Romane ecclesiae immediate subiecti profiteamur et recognoscimus per praesentes, quod ab honorabili viro domino N. plebano ecclesiae in N. dicte dioeceseos amico nostro sincerissimo pro nostro usu necessario mutuo accepimus trecentos florenos ungaricales debite monete ac iusti et legalis ponderis dabilemque, quos idem dominus N. nobis ac nostro monasterio antedicto ex speciali amicitia, qua nobis coniungitur, mutuavit. Quam quidem florenorum summam sibi aut cuicumque alteri nos suo nomine per hoc legitime requirenti litteramque hanc exhibenti elapso post huius requisitionem factam dimidii anni spacio in simili moneta ac pondere vel summam equivalentem in pecunia minuta monete integre wiennensis computatis tamen sex solidis et viginti denariis pro uno floreno ungaricali pro vobis ac vestris successoribus universis nos soluturos promittimus bona fide quibuslibet dolo ac fraude seclusis, nec non pro huius solutione facienda cuncta nostra praefati monasterii bona tam mobilia quam immobilia obligamus harum subtenore litterarum nostrorum sigillorum appensione munitarum. Datum etc. in nostro monasterio anno domini millesimo quadringentesimo trecesimo octavo feria quinta post festum etc.

XIX.

Littera testimonialis super donatione quorundam librorum ad locum certum cum facultate repetendi unum aut omnes si placuerit. (71 b.)

Nos fr. Cristannus abbas mon. mell. pat. dioec. sedis apostolice sine medio subiecti nostri tocisque nostri conventus nomine

<sup>1)</sup> Keiblinger I. 519.

<sup>2)</sup> S. Keiblinger I. 524, Anm. 1.

praesentium tenore recognoscimus, quod honorabilis vir dominus Thomas de weytra pro salute anime sue monasterio nostro ex singulari devotione, quam habet ad ipsum, infra notatos contulit libros: primus est liber meditationem devotorum cardinalis Cameraensis super psalmo „Judica me deus et discerne causam meam etc.“ cum ceteris in eodem contentis, secundus wilhelmus de virtutibus et ceteros(?) libros, qui numero quinque fuerunt. Haec quinque volumina tali contulit sub conditione, quod, si eo adhuc vivente ex quacunque emergente necessitate unum vel plures sive omnes praenotatos libros repetere vellet, ex tunc ad restituendum sibi tamquam possessori et domino proprio cuicumque alteri per eum legitime ad repetendum substituendo fatemur nos paratos et reddimus obligatos. Si autem ante revocationem praefate liberalis donationis dictus dominus thomas debitum mortis persolverit, ex tunc praedicta donatio firma et irrevocabilis habeatur. Ipsum quoque dominum Thomam in signum gratitudinis huiuscemodi impensi beneficii tam in vita quam post mortem inter nostros benefactores veluti specialem deputamus. In cuius rei testimonium praesentem cartam sigillo nostro abbaciali subpresso roboramus.

Datum in nostro monasterio Mellicensi feria quinta post festum sancti andree. 1445.

## XX.

Forma recognitionis super mutuata re vel libro. (86 b.)

Ego fr. N abbas monasterii N. recognosco me monasterii praefati nomine et meo nominibus mutuo recepisse a venerabilibus patribus domino Cristanno abbate mon. mell. et ipsius conventu librum in asscribis ligatum etc., quos libros sine dolo et fraude illesos restituere eisdem promitto. In cuius rei testimonium praesens scriptum signeto meo solito signatum ipsis tradere curavi.

Datum in monasterio mellicensi etc. in die sancti placidi.

## Unbekannte Gedichte des P. Joachim Hoedl S. J. auf Abt Marian II. und die Abtei Heiligenkreuz.

Von P. Teszelin Halusa (O. Cist.).

Die freundschaftlichen Beziehungen, die seit alten Zeiten zwischen der Gesellschaft Jesu und Heiligenkreuz im Walde unterhalten werden, haben sonder Zweifel dem Verfasser der hier publicierten poetischen Erzeugnisse die Feder geführt. Wir meinen dem allgemeinen Interesse entgegen zu kommen, wenn wir nach fast vollen Hundert Jahren dieselben der Verborgenheit entreissen, um dem in Gott ruhenden Sänger ein bescheidenes Denkmal zu errichten und seinen längst verklungenen Namen wieder zu erwecken.